Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

presumptione scientatis addiceret. Humilia inquit ualde spiritum tuum, et coram deo inuenies gratiam. Omnis enim qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. His atque huiusmodi sacre scripture testimoniis, dauid latrones iugulat, quia superbie tyrannidem humilitatis preceptis christo per eum exterminat. Latrones in damascum abeunt. et ibi habitant, cum cognationes uerba et opera de presumptione scientatis et edita peccata peccatis accumulant. Damascus enim sanguinem bibens interpretatur. per quem peccati sitis figuratur, que quo magis recipitur, eo uehementius accenditur. Razon latrones regem in damasco constituunt, dum sensus interiores et exteriores presumptione scientatis regno peccati preficiunt. Razon cunctis diebus salemonis israel aduersatur, quia presumptio scientatis tamdiu uirtutibus obluctatur, quamdiu homo preuaricationis reatu obligatur. Hoc esse malum adad et odium contra israel describitur, quia uane glorie furor uirtutum aciem miserabiliter persequitur. In syria regnat, quia uana gloria ut presumptio scientatis regnum superbie et uiciorum corroborat. SEQUITUR. Hieroboam quoque filius nabath effrateus de sareda seruus salemonis, cuius mater erat nomine sarua mulier uidua, leuauit manum contra regem. Et hec causa rebellionis aduersus eum, quia salemon edificauit mello et coequauit uoraginem ciuitatis dauid patris sui. Erat autem hieroboam uir fortis et potens, uidensque salemon adolescentem bone indolis et industrium, constituerat eum prefectum super tributa uniuerse domus israel. Spiritus sanctus qui simul omnia creauit, simul quoque in hac littera populi iudaici uocationem et repulsionem, populi quoque christiani transgressionem et humiliationem comprehendit. Per hieroboam, qui populum diiudicans interpretatur: populus iudaicus, ut hereticorum ordo figuratur, qui per acceptae legis scientiam diuinitus sublimatur. Hieroboam filius nabath scribitur, quod conspicuus, ut sessio, siue exclusio dicitur, quia populus iudaicus, ut ordo hereticorum, scientia legis conspicuus de sessione ecclesie merito sue perfidie excluditur. Hieroboam effrateus esse memoratur, quod uber, ut puluerulentus interpretatur, quia populus iudaicus, ut ordo hereticorum, de ubertate scientie et uite gloriatur, idoque se ut ignorantie ut uiciorum pulueris respersum non arbitratur. Hieroboam de sareda esse scribitur, quod descensio dicitur, quia populus iudaicus, ut ordo hereticorum, de fastigio uere sapientie ad profundum insipientie dilabitur. Hieroboam seruus salemonis esse memoratur, quia populus iudaicus populi christiani seruituti mancipatur. Mater ieroboam sarua scribitur, quod lepra dicitur, quia populus iudaicus de synagoga nascitur, que perfidie sue lepra aspergitur. Sarua mulier est uidua, quia synagoga christi domini sui est solatio destituta. Hieroboam manum contra regem salemonem leuat, quia populus iudaicus populo christiano in cerimoniis legalibus repugnat. Hec causa rebellionis hieroboam aduersus regem esse scribitur, pro qua scilicet causa synagoga ab ecclesie unitate diuiditur. Quia salemon mello edificat, quod plenitudinem sonat, quia scilicet populus christianus gentium plenitudinem per euangelii predicationem ad se conuocat. Uoraginem ciuitatis dauid patris sui coequat, quia profunditatem sancte ecclesie in sobole renascentium continue exaltat. Ab hoc synagoga liuore torquetur, quia gentes sanctuarium domini ingredi contuetur. Cuius liuoris notam ut christus a se propelleret, discipulis suis ante passionem suam iubet. In uiam gentium ne abieritis, et in ciuitatem samaritanorum ne intraueritis. Erat autem ieroboam uir fortis et potens. Uidensque salemon adolescentem bone indolis et industrium, constituerat eum prefectum super tributa uniuerse domus ioseph. Hieroboam uir fortis et potens fuerat, cum populus iudaicus patriarcharum fidei et prophetarum spei ac di